



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quare pater non dicitur missus. N

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

est non ut impletet angelos, nec ut esset angelus,  
nec ut esset cum hominibus vel in hominibus, ut  
antea in patribus erat & in Prophetis, sed ut ip-  
sum verbum fieret caro, id est, homo.

Quod secundum alterum modum dicitur missus in mun-  
dum secundum alterum non. M

PRÆTEREA notandum est, quod cū his duo-  
bus modis mittatur filius, secundum alterum di-  
citur missus in mundum, secundum alterum vero  
non. Eo enim modo missus dicitur in mundum,  
quo visibilis mundo apparuit. Vnde Augu. in eo-  
dem lib. ait, Cum ex tempore cuiusquam mente per-  
cipitur, mitti quidem dicitur, sed nō in hūc mun-  
dum, non enim sensibiliter appetit, id est, corpo-  
reis sensibus praesto est. Nam & nos, secundum  
quod mente aliquid æternum capimus, non in  
hoc mundo sumus: & omnium iustorum spiritus  
etiam in carne uiuentium, in quantum diuina sa-  
piunt, non sunt in hoc mundo. Ex prædictis li-  
quet, quod præter ineffabilem genitaram, duo-  
bus modis mittritur filius, scilicet cum visibiliter  
apparuit, vel inuisibiliter percipiatur mente.

*Cur pater dicitur non missus, cum ab aliquo  
cognoscitur, ut filius.*

HIC quæritur cur pater non dicitur missus, cū  
ex tempore à quoquam cognoscitur, sicut filius?  
Ad quod dicim⁹, quia in eo est principii authori-  
tas, quæ non habet de quo sit, à quo filius & spiri-  
tus S. Pater enim est, ut ait Aug. in eodem lib. prin-  
cipium totius diuinitatis, vel si melius dicitur,  
deitatis: quia principium est filii, & spirit⁹ S. Nam,  
ut ait August. in eodem. Si voluisse etiam Deus *Aug. li. 4.*  
pater per subiectā creaturā visibiliter appareret: *de Trin. ad*  
absurdissimè tamen aut à filio quem genuit, aut *finem c. 20.*  
à spiritu sancto qui de illo procedit, missus diceretur. *Aug. in fine*  
Cōgruēter autem ille missus dicitur, qui in carne *lib. 4. ca. 21.*  
apparuit: misse autē ille, qui in ea nō apparuit.